de cepti nostra . . . . . a peregrinis et pro-
tiri, intelligis consilium tuum, quare per occasio-
nem haec ad Illustriss. principem referes, ~~vel mihi~~
meq. illius Cels. . . . . . . commendabis. Vetui mihi si
fieri id posset, confici, ferrum summorum prussiae
magistrorum. Bene et feliciter vale. ultimo Augusti
1563.

Inscriptio.   Joach. Camerar.

Clarissimo viro doctrina et virtute
praestanti D. Matthiae Stoio physica
et artis Medicae Doctori, Medico
Illustriss. Ducis Prussiae amico
et fratri suo colendo.

54. S. D.

Salvum et incolumem te ad tuos reversum esse, spero,
etsi iter non usq. adeo commodum fuisse ratiocinor
ex aëre coeliq. instabilitate, quae apud nos fuit à discessu
tuo huc usq. Qui meas tibi reddet in Pomerania na-
tus est, nomine M. Zacharias Orthus, vir bonus et prae-
clare doctus in physica et utraq. lingua Graeca et Latina,
Illustrissimo Principi tuo inscripsit poëma Graecum,
quo complexus est imperatores Orientis, id offerret et
eam rem opera consilioq. tuo asequi, cum te intelligat
et carum et familiarem esse Principi, ut autem qualis
sit cognoscas, scias versatum eum esse in Academia no-
stra socero viro multos annos, et fuisse cum socero propter
eruditionem et probitatem et ingenii et animi, cujus
character est oratio ipsius, eximie carum. Commendavit
ipsum principibus Pomeraniae, apud quos in Academia
Gryphiswaldiana publico stipendio cum laude aliquandiu
docuit. Sed reliquit professionem eam, quod inchoata
juris studia persequi et absolvere constituit. At subsi-
diis destituitur. Ea colligit scriptorum dedicationi-
bus munificentia principum. Offert autem totum
sese Illustrissimo principi tuo ea lege atq.
conditione, ut si in aliquot annos subsidia ad stu-

dium juris in Italia continuandum impetrare posset, vellet gratitudinis loco vicissim operam suam principi, ubi redÿsset, ad docendum jus in schola tradere et addicere. Hac de re quaeso refer ad Illustrissimum principem et des operam, ut a Cancellario conficias. Non permittendi. Princi= pem beneficentiae suae erga eum usurparet, ita nisi perspectum est ingenium hominis, plurimum in se positum esse judicat, et de se sibi persuadet plurimum. Quare ne fallat. Spe sua praestabit. Caetera de nostris reb. ex eo cognosces, bene et feliciter vale, opto praeterquam, ut annus qui iniit tibi tuisq. sit faustus, felix et salutaris pridie mei natalis Anno 1563.

Caspar Peucerus.

Inscriptio.

Clarissimo viro, doctrina et virtute praestanti D. Matthiae Stoio physica et Artis Medicae Doctori, Medico Illu= strissimi principis Prussiae et amico et fratri suo carissimo.

S. D. 55.)

Ut solet a magno fluctus languescere flatu
Sed tamen a vento, qui fuit unda tumet.

Hujusmodi cum esset reliquus, etsi tum fortassis hebetior, atta= men non expers ingentis acerbitatis in animo meo sensus nondum prorsus sanati vulneris ejus quod in unico et primogenito filio, meo, sed cujus baptismum te quoque adhibui testem et susceptorem, et conjunctio nostra propter societatem patrui nominis velut astricta familiare necessitudine, de inceps arctior esset: obitu omnium mihi invitta gravissimum videor accepisse, magnae mihi levationi, adeoque me quoque (si fortiis hoc in tam tristem vel fortunam vel afflictionem animadvadere posset:) oblectationi, fuit carissime D. compater suavissimarum lite= rarum tuarum incredibilis humanitas et amabilitas, in quibus et oratio tua, et societas poene aegritudinis, et abundantia tua tui erga me amoris ex omnibus partibus, in ea se ostendens epistola, in eademque refulgens ἡ πάντα ἀνθρώπινα ἐπιεικῶς φέρειν χάρις, mirifice me in tantis molestiis tantoque moerore meo recrearunt. Itaque tibi et de officio tali literarum per sese pleno suavitatis, adeoque opportune ad me lenimentum adhibiti,